



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

IV. De visitandis infirmis a presbytero.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## III.

Lib. 7. cap.  
291.  
luc. part. 6.  
cap. 192.

Prohibendum, & modis omnibus interminandum est, vt nullus sacerdos eas personas feminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, (quia, instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico, aut villa, domum longe a presbyteri conuersatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc, secundum auctoritatem Canonum, modis omnibus prohibendum, vt nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.

## IV.

Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitus ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum & per omne cubiculum aspergat, cum antiphona, *Asperges me Domine*, & versu, *Exurgat Deus*. Deinde dicat orationem, *Deus qui sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, &c.* Deinde cantet septem psalmos, cum precibus pro infirmis. Post hæc, omnes iubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, vt omnem spem suam in Deo ponat, vt flagellum Dei patienter toleret, vt hoc ad purgationem & castigationem suam proue-

ANNO  
CHRISTI



ANNO  
CHRISTI

nire credat, vt peccata sua confiteatur, vt emenda-  
tionem promittat, si Dominus vitam concesserit :  
pœnitentiam pro culpis commissis spondeat : vt  
substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in  
eo vigent, disponat : vt peccata sua eleemosynis  
redimat, vt his qui in se peccauerunt indulgeat, vt  
rectam fidem & credulitatem teneat, vt de Dei mi-  
sericordia nunquam desperet. Cum his & huiusce-  
modi allocutionibus fuerit mens infirmi releuata,  
data benedictione recedat sacerdos, non post mul-  
tum reuersurus, detque locum vt ægrotus de pec-  
catis suis possit cogitare.

V.

Infirmus, qui necessitate mortis vrgente confi-  
tetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote re-  
concilietur, vt si ei Dominus vitam donauerit, sa-  
nitatemque reddiderit, secundum qualitatem deli-  
cti omnimodis pœniteat.

VI.

Præcipiendum, secundum Canonum auctori-  
tatem, vt de sepulcris & hominibus sepeliendis ni-  
hil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur, viuens  
iusserit ecclesiæ, in cuius atrio sepelitur, de suis  
aliquid tribuere; aut etiam post mortem illius, qui-  
bus commissum est eius eleemosynam facere, de  
rebus illius aliquid dare sponte voluerint. Tamen  
nullatenus a presbyteris illis aliquid exigatur, siue  
ab illis qui locis & vicis præsumt. Prohibendum  
etiam, secundum maiorum instituta, vt in ecclesia  
nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu,  
aut extra ecclesiam. Infra ecclesiam vero, aut pro-

13. quæst. 2.  
Præcipien-  
dum.  
Ino part. 3.  
cap. 22.